

I. N. S. S. T.
DISSERTATIO MATHEMATICA
De

SOLIS ^{ET} LUNÆ MOTIBUS PROPRIIS,

Quam,
SUMMI SUBSIDIO NUMINIS,
Permissa Ampl. FACULT. PHILOS.

SUB PRÆSIDIO
VIRI Adm. REVERENDI
Dn. LAURENTII
TAMMELIN,
Math. Prof. Ord.

PRO GRADU MAGISTERII,
Publico Examini submittit
SVENO NJDÆSTROM
REG. Al. Smolandus.

Ad diem 23 Maji, Anni M DCC VI.
In Auditorio Maximo.

ABOÆ, Exc. Jo. WAL.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Maxime Fido VIRO,
Reverendissimo in CHRISTO Patri ac Domino,
DN. M.OLAO CAVALLIO
Inclytæ Diœcesi. Wex. EPISCOPO E-
minentissimo, Consistorii PRÆSIDI
Iongè Gravissimo, Regii Gymn. &
Schol. per totam Diœcesin EPHORO
Permagnifico.
MÆCENATI SUMMO.

Maxime Reverendo atque Amplissimo Domino,
DN.M. ANDREÆ GJØDJSNG
Civitatis Wex: Pastori & Archi- Præ-
posito celebratissimo, Consistorii Vice-
Præsidi Gravissimo.

PATRONO MAGNO,
Adm. Reverendis atque Præclarissimis
DN. DN. M. M. Consist. Wex. ASSESSO-
RIBUS æqvissimis, Gymn. LECTORIBUS
vigilantissimis, Patronis optimis, mul-
tis nominibus humiliter ve-
nerandis,

Has pagellas
humilimè offert
SVENO Nidelsström.



Lindo ubi originem dedit, qui
ad hujus universi sedet gu-
bernacula, cuncta utilitati
jucunditatique accommo-
davit hominis, cuius domi-
nio creata destinavit. Ter-
ram herbis, floribus variorumque generum
arboribus vestitam, illi escam præbere oculosque
oblectare jussit. Aves suavitate canens vo-
luptati esse auribus, unoque verbo cuncta a-
nimalia bruta, Domino suo homini obedientiam
præstare, Creator voluit. Nec contentus jus-
sisse, terrestria homini officio esse; sed ne quid
integritati beatitudinis decesset, quo minus in
medio quasi deliciarum positus, infra supraq[ue]
se, voluptatem afferentia haberet; etiam cælum
variis luminibus adornatum, commodis ipsius
inservire præcepit. Inter reliqua verò, quæ
in expanso cæli fulgent sidera, imperium ob-
tinere duo illa, de quorum Motibus Pro-
priis, jam DEO benedicente acturi sumus:

Illa enim נְמַשֵּׁלָה sive ad Dominium à DEO Altissimo facta, maximum in mundo hoc inferiori effectum habent sensibilem. Illa lumine suo cetera terrâ prohibendo, motuque suo in primis notabili, durationem reliquorum mensurando, dominium in principio rerum sibi concessum haud occulte exercent. Illa etiam utilitatem eximiam homini afferentia, divina laudis, materiam præbent egregiam. Ad horum igitur motus describendos, eorundemque motuum causas, pro talento ingenii indagandas, stilo quam fieri potest simplicissimo, me utinam feliciter ! conferam.

§. I.

ASole igitur siderum Principe (cui ut etiam Regni Socia Luna cederet, conditori est visum) initium faciam. Sed adhuc in limine constitutus, verbo de motu, Soli cum reliquis corporibus cœlestibus communi, dicam. Hoc autem, velocitate sibi semper simili, ut incrementa & decrementa umbrarum æqualia, manifestè evincunt, ab oriente in oc-

cidentem pergit. Licet ~~uxi~~ inter se comparata, non nihil inæqualitatis habeant, ut jam modo ostendam. Præterea observandum, Solem ab oriente in occidentem progrediendo, non exactè circulos, sed spirales lineas, hoc est: non in se redeuntes, sed paululum à circularibus deflectentes efficere. Non enim eâdem incedit viâ, sed indies in aliis atque aliis Zodiaci gradibus HORIZONTALIS punctis, tam in ortu quam occasu, se conspicendum præbet.

§. II.

Sol dicto jam modo, spiras utrumque versus polum formando, fixis celeritate non respondet; nam uno ferè gradu, singulis diebus, ab his versus orientem relinquitur. Qvam ob causam, motu sibi soli proprio priorique contrario, nempe ab occidente in orientem, Solem progredi putavit antiquitas. Qvorum prius ute pote verum, posterius quoque plausibili hypothesi superstructum, do-

&rinæ causa prælens approbat ætas.
 Qvoniam ut dictum hinc indeque ab
 Äqvatore, qui à polis mundi concipitur
 descriptus, spiratim deflectit (Sol) non
 super polos mundi, sed Eclipticæ,
 qvæ bis Äqvatorem intersecat, ab occi-
 dente in orientem, motu hoc proprio
 circumferri fingitur. Polorum horum
 à polis mundi distantiam, seu qvod idem
 est, maximam Solis ab Äqvatore declina-
 tionē, varii variam statuerunt: Eratoste-
 nes 23. gr. 51. m; Ptolomeus 23. gr. 51. m.
 20. s; Albategnius 23. gr. 35. m; Arzahel
 23. gr. 34. m; Alcmeon 23. gr. 33. m;
 Porphatius 23. gr. 32. m; Regiomontanus,
 quem sequuntur hodie perplurimi Ma-
 themat, 23. gr. 30. m; Copernicus 23. gr.
 28. m; Tycho 23. gr. 31. m. Punctum hoc
 maximæ declinationis Solis vocatur sol-
 stitium, tum qvod Sol ad illud ubi accedit,
 ad Äqvatorem revertitur, cursumq; suum,
 respectu dicti jam modo ab Äqvatore
 recessus, qvasi sistit; tum qvod circa illud
 constitutus, spiras parum à se invicem
 distantes format, eamque ob causam

pun-

puncta ortus & occasus, nonnullis diebus sensibiliter vix mutat. De tempore, quo Sol praedicto jam motu integrum absolvit circulum, nonnihil dissentunt Auctores: Julius Cæsar ipsi assignavit d. 365. h. 6, Ptolomeus d. 365. h. 5. m. 55. 12. 1; Tycho d. 365. h. 5. m. 48. 45. 1. Hoc etiam motu sol æqvalibus temporibus inæqvales percurrit Eclipticæ arcus; plus enim temporis ad peragranda borealia quam australia signa insumit: quando enim velocissimus est uno die 61 minuta aut amplius, quando tardissimus vix 57 conficit: unde modo dicta, dierum naturalium inæqvitalitas. Insuper ex observationibus Astronomorum, ab Hipparcho ad Albategnium & ultra factis, si modo fides habenda est Schotto deprehensum est: Solem in primo Eclipticæ quadrante ab γ ad ω tardius incedere quam in secundo, in secundo tardius quam in quarto. & in quarto tardius quam in tertio. At ex observationibus ab Anno Christi 1400 ad antea nominati Schotti tempora, experti sunt, Solem plus mo-

rari in Eclipticæ secundo quadrante qvā in primo, & plus in primo qvam in tertio, & plus in tertio qvam in quarto. Hanc Solis in progrediendo inæqualitatem, Astronomi medium inter tardissimum & velocissimum motum suum mentes, ad æqualitatem reducunt, eumque singulis diebus 59. m. 8. f. 19 t. 49 iv. 51 v. 40 vi, in Ecliptica moveri plerique statuunt. Præterea Sol non eandem à terra servat distantiam ; sed modò propinquior, modò remotior est. Nec locus Solis à terra remotissimus fixam in Ecliptica habet sedem ; nam motu licet tardissimo, illum in conseqventia migrare, observarunt Mathematici.

§. III.

Luna divisum quasi cum Sole imperiū habens, suo ab ortu in occulum motu, non circulos perfectos ; sed lineas à circulis, magis qvā ullius alterius sideris aberrantes, dicit. Qvarè omnium tardissimè motum communem, velocissimè verò propriū absolvit. Illo enim 25 ferè ho-

horis circulum conficit; hoc autem motu medio in Zodiaco 13 gr. 10. m. 35 s. (qvibus 52. minuta temporis respondent) qvotidie progreditur. Totum vero Zodiacum d. 27. h. 7. m. 43. 7. s. percurrit. A sole digreditur eique iterum hoc motu conjungitur d. 29. h. 12. 44. m. 3. l. 10. t. 50. iv. 30. v. Hoc temporis intervallum, mensem synodicum, illud periodicum appellant. Siqvidem orbitam suam Luna cum lustrat, Sol non uni cœli affixa est puncto; sed interea temporis, motu licet tardiore, in consequentia promovetur signa. Quem ut assequatur Luna, duos dies cum non nullis horis minutisque consumit. Luna Motu proprio orbitam suam peragrando, non vestigia Solis premit; sed 5. gr. plurimorum suffragio, hinc indeqz, ab Ecliptica seu via Solis deflexit. Qvarē orbita Lunæ Eclipticā, in duobus punctis ē diametro sibi oppositis intersecat. Hæc intersectionis puncta nodos, puncta Eclipticæ, caput & caudam draconis nomi-

na-

nariunt. Qvæ indies in antecedentia si-
gna sedem variant; secundum qvosdam
æqualiter, secundum alios verò inæqua-
liter. Motu tamen medio, singulis die-
bus 3. m. 11. 1, singulis annis 19. gr.
19. m. 43. f, contra seriem signorum fe-
runtur. Luna item nunc in Apogæo con-
stituta est, nunc in Perigæo. Nunc ve-
locius, nunc tardius incedit.

§, IV.

Solis & Lunæ motibus eorundemqz mo-
tuum anomaliis, eâ qvâ fieri potuit
brevitate simplicitateque descriptis, reli-
quum est ut ad hypothæses transitum faci-
am. Qvas, ut horū reliqvorumqz Planeta
rū motus apparenter irregulares, ad cer-
tas reducerent leges, excogitarunt Ma-
thematici. Ex qvibus soliditatem cœli
asserentes, rotundam ipsi assignant figu-
ram; qvod etiam hodiè Recentiores, non
Veteres modò faciunt. Hoc tamen, cum
exceptione, si nempe terminos magni-
tudinis cœlum habeat, à prioribus statui
demiror. Cum partes infinitamque in
uno

uno subiecto magnitudinem; non admittat Philosophia falsa: ut taceam rem creatam, nunquam essentiæ destruita termino. Nec est quod putent, hoc frustra à me dici, cum ipsi indefinitam, non vero infinitam, mundo attribuant modum. Iporum enim verba evincunt, illos dubitare, num finita, an vero infinita sit mundi magnitudo. Hæc vero, utpote non directè, ad præsentem facientia materiam transeo, omneque corpus habere terminos, licet non omne, magnitudinem per applicationem regulæ accuratè notam, me scire confido. Sed ad Duristas ut redeam, qui cælum solidum, sideraque omnia ei ut clavos parieti esse infixæ, motumque ipsius seqvi supponunt. Corpora præterea cœlestia, motibus variis iisque oppositis ferri dicunt. Ne autem Hypothesis hæc, absurdum, nempe: unum idemque corpus, motibus contrariis, uno eodemque tempore moveri posse involvat; pro diversitate motuum, varios statuunt cælos. Hos omnes à se invicem distinctos, inter se tamen

contiguos, totales terræ Concentricos omnesque transparentes esse ajunt. Cœlorum supremum unico, inferiores pluribus cieri motibus; qvorum unum ipsis per se, alios vero per accidens, ut pote à superioribus impressos, convenire putant. Et qvoniā antiqui Astronomi, motu fixarum proprio neglecto, non nisi octo distinctos animadverterunt motus, totidem sibi sufficere crediderunt cœlos. Inter qvos septem, planetis, qui Polis Zodiaci, unum vero fixis, qvod Polis Äqvatoris, moverentur attribuerunt. Et hoc non, solum stellas sibi infixas, 24 horis Primi Mobilis circumducit; sed & inferiores planetarum cœlos, ab oriente in occidentem rapit: idq; eò tardius, quò ab hoc Primo Mobili absunt longius. Inferiores enim, motui cœli supremi resistere finguntur; qui resistendi actus, pro diversitate distantiarum ab ipso, variat. Luna igitur, à supremo cœlo remotissima, mensim duntaxat; Sol vero ipsi propinquior, totum annum, orbitæ suæ, motu proprio peragrandæ, impendit. Postquam

quam autem posterioribus seculis , cum Duristis facientes Mathematici deprehenderunt, Æquinoctium non plenè circa easdem stellas fixas fieri ; sed has, semper versus orientem relinquere, octo prioribus , unum adhuc addiderunt cœlum. Quod totum stellarum exercitum , ab oriente in occidentem raperet. Octavum verò fixarum, tardissimè ab occidente in orientem moveri dixerunt. Post horum autem tempora viventes, ubi observarunt, non tantum fixas æqualibus temporibus, inæqualiter ab occidente in orientem progredi ; sed etiam declinationem Solis ab Æquatore, observationibus collatis esse variam ; ut & Æquinoctia interdum ante, interdum post puncta æquinoctialia accidere: præter novem jam antea inventos cœlos, duos alios excogitarunt. Qvorum undecimum seu supremum, Primum Mobile esse voluerunt. Decimum huic proximum, præter motum diurnum à Primo Mobili impressum, aliud quendam librationis , per 24 minuta à septentrione

in austrum, & ab austro in septentrio-
nem habere dixerunt. Ita ut Poli Ecli-
pticæ hujus decimi cœli, à Polis Eclipti-
cæ Primi Mobilis, sub Coluro solstitiorū,
ultra utroque 12. m. remeant. Quæ li-
bratio Eclipticæ decimi cœli, ab Æ-
quatore Primi Mobilis, declinationis in-
æqualitatem efficit. Porro, quoniam Ec-
liptica undecimi cœli, media inter u-
trosque librationis terminos, 23, gr. 40.
m. (ex sententia illorum, qui hanc de-
clinationis admittunt varietatem) ab Æ-
quatore suo deflebit, sponse fluit 23,
gr. 52. m. maximam esse, 23. gr. 28. m. mi-
nimam, Eclipticæ decimi, ab Æquatore
undecimi aberrationem. Libratio hæc,
ab extremo australi termino initium fa-
cit, & ad ultimum borealem inæqualiter
tendit. A quo, eâdem irregularitate, ad
terminum regreditur australē. Quod
cum pervenit, tota absoluta est perio-
dus: Qvam integrā ut conficiat 3431
annos Julianos diesque 239, (ut vult Co-
pernicus) consumit. Hoc tempus, in Ta-
bulis Astronomicis, periodus anomaliæ
ob-

obliquitatis Zodiaci dicitur. Cœlum nonum, quod sub decimo, cum suis Polis & circulis concipitur, præter diurnum & explicatum librationis motum, proprium quendam 2. gr. 20. m. motum librationis, ab ortu in occasum, & ab occasu in ortum, sub Eclipticâ decimi cœli superque ejusdem Polos habet. Ita ut prima puncta Arietis & Libræ hujus noni, à primis Arietis & Libræ punctis decimi coeli 1. gr. 10. m. ultro citroque remeant. Libratio hæc, ab intersectione Æquatoris & Eclipticæ decimæ & undecimæ spheræ, inæquali cursu, occidentem versus pergit, indeque, inæqualitate pari, ad dictam intersectionem reddit. Et porro etiam 1. gr. 10. m. in orientem excurrit. Unde, eadem cum priore motu lege, ad sèpius nominatam intersectionem revertitur. Est velocissima in medio, tardissima vero circa utrumque limitem. Absolvitur autem annis 1715. diebus 302. Diciturque Anomalia Præcessionis Æquinoctiorum.

Hâc râtione, ex veterum Mathematicorum sententia, decimo & nono cœlis, varia Solis ab Æquatore declinatio; ut & Æquinoctia non exacte sedem servantia, certis circumscribuntur limitibus. Non tamen inficiandum, Auctores gravitatis magnæ, infideli observationi, has adscribere anomalias. Ego, cum sola auctoritate aliorum, in hoc negotio mihi esset pugnandum, hanc litem non facio meam. Alios Solis & lunæ (reli- quorum n. Planetarum cum mei non sit instituti prætereo) motus irregula- res, sententiæ hujus propugnatores, orbes eorum totales, in partiales plures, quosdam simpliciter, quosdam secundū quid Excentricos dividendo, & in Epi- cyclis planetas moveri statuendo, salvare cupiunt. Sed cum hypothesis hæc, phæ- nomenis explicandis vix sufficiat, & multa præterea involvat absurdâ; eamque ob causam, aberuditis jam olim fit explosa, explicationi ipsius diutius in- hærere, non operæ pretium duco.

Sunt præterea multæ hypotheses ;
 vix tamen celebriores quam Ty-
 chonis & Cartesii. Quarum ut pluri-
 mum altera , ab hujus seculi Astrono-
 mis approbatur. Verbo itaque de ultra-
 que & quidem primò de Cartesii dicam.
 Ille namque, comparationem inter corpo-
 ra mundi præcipua instituens, invenit
 Solem cum fixis & flamma in hoc con-
 venire, quod lumen emittat. Terram v.
 cum Luna & cæteris planetis hoc com-
 mune habere, quod radios Solis refle-
 etat. Insuper hæc omnia corpora, cœlo
 circumfundi liquido : quod non solum
 motum in se; sed etiam vim , alia cor-
 porâ etiam solida deferendi; ubi motus
 ipsius, in aliquam partem fuerit deter-
 minatus, habet. His suppositis , Solem
 cum flamma ; terram a. cum plane-
 tis, etiam motu consentire putat. Et
 quoniam supra terram , nihil videmus
 flamma mobilius: quippe quæ, corpora
 juxta posita, nisi admodum solida &
 dura fuerint, particulatim dissolvit. To-

ta tamen, ab uno loco in aliud migrare non solet, nisi corpus cui inhæret simul deferatur. Solem igitur materiâ maximè fluidâ, constare existimat, quæ quidem ex uno loco in aliud non fertur. Cœli tamen circumjacentis partes secum in gyrum rapit. In hoc Solis vortice, terra quendam minorem (in quo Luna per mensum circumvehitur) habet. Qui a Solis majore, annuo spatio circumducitur. Terra vero circa proprium axem, singulis diebus, integrum gyrum absolvit. Et sicut in aliis rebus naturalibus, ex g: in aquarum vorticibus fieri videmus; minores nempe, circa aliud quendam magnum delati, licet semper motum affectent circularem; circulos tamen perfectos nunquam describunt. Sic etiam in hoc magno Solis vortice fieri putat: nempe terram & Lunam, quæ in eo moventur, non accuratè in eodem plano consistere, nec exactè circulos formare; sed tantum præter proptertales esse, ac etiam labentibus seculis mutari. Hujus hypothesis Auctor, terræ mo-

motum tribuendo, quod Scripturæ S. videtur
 esse aduersum, omnium ferè Theologorū o-
 dium contraxit. Licet genuinā motus naturā ex-
 plicatā, hoc ipsum excusare conetur. Dicens:
 terram undique cœlo liquido cinctam, im-
 motam motum ejus sequi. Ut navis nullis
 ventis, nec remis impulsa, in medio mari
 quiescit, licet ab ingenti aquæ mole, occulto la-
 bente cursu deferatur. Cum itaque motus pro-
 priè loquendo, sit translatio unius corporis
 è vicinia corporum, quæ immediatè illud con-
 tingunt, & tanquam quiescentia spectantur in
 viciniā aliorum. Sequitur, nullum in terra mo-
 tum, propriè dictum reperiri. Qvia non è vici-
 nia partium cœli, quæ immediatè illam contin-
 gunt, & ut immotæ considerantur transferrunt.
 Sed quantum ego intelligo, hæc omnia Carte-
 sius frustra. Nam qualemcumque demum, mo-
 tus intelligat ἀκείβειαν, ad totum corpus, &
 non tantum ad particulas, in extremitate cor-
 poris moti positas, illam ut restringat, necesse
 est. Si modò, totius corporis, non vero exti-
 mæ duntaxat superficie, motum describere velit.
 Corpora deinde diversæ naturæ, in similitudine
 motus consentientia, similis respectu motus, ga-
 tionem unius habere, nemo non videt. Hinc
 terram secundum Cartesii hypothesin, & reli-
 qua, exempli loco ab ipso allata, propriè mo-

veri,

veri, 'facilè patet. Alioquin Solis & Lunæ, antea descriptis anomaliis, aliisq; cœli phœnomenis, sat egregiè hypothesis hæc respondet: ut cuiusvis, vel mediocriter studiis Mathematicis tincto manifestum; sed dictam ob causam Tychonis huic præfertur. Qui cum suis assertoribus, terram immobilem, & cœlum unicum idque liquidum statuit. In quo, Sol & Luna reliquaq; sidera, spiratim ut phœnomena requirunt moventur. Qvod verisimilimum videtur, uti passim, in ipsa Solis & Lunæ motuum descriptione indicavi. Præterea varios cœlos partiales, Excentricos & Epicyclos, ut nimis Apogæum, Perigæum motusq; planetarum inæqualis, facilius intelligatur, supponit. Sic planeta, cuius orbita, respectu terræ excentrica est, mora æquali, arcum maiorem longiori minorem autem breviori tempore percurrit. In majori constitutus segmento, à terra remotior; in minori, eidem propinquior est. Item, ubi planeta, in Epicyclo, proprium motū ab oriente in occidentem habente latus, motui Epicycli consentit, velocior & perigæus; ubi vero à motu ipsis dissentit, tardior, stationarius vel retrogradus & apogæus est. Sed cum hæc, & multa alia doctrinæ causa excogitata, fine appositis figuris, quæ nunc, apud Typogr. non inveniuntur, ad oculum demonstrari nequeant, hic subsistere cogor.

SOLI DEO GLORIA!